

## **Оссолінські колекції.**

**CD – диск виконано в рамках угоди укладеної з квітня 2004 р. між Львівською науковою бібліотекою НАН України у Львові і Національним Закладом ім. Оссолінських у Вроцлаві.**

Lwowska Naukowa Biblioteka im. W. Stefanyka NAN Ukrainy. Oddział Rękopisów.

Zespół (fond) 4.

Zbiór rękopisów Biblioteki Baworowskich

Dział (opys) 1

978. Constitutiones Congregationis Clericorum Reg. Paup. Matris Dei. Schol. Piarum. A.D. 1764.

*STRONY NIEZAPISANE NIE ZOSTAŁY ZDIGITALIZOWANE*

ЛЬВІВСЬКА НАУКОВА БІБЛІОТЕКА  
ІМ. В. СТЕФАНИКА НАН УКРАЇНИ

ВІДДІЛ РУКОПИСІВ

ФОНД 4 (Бав.)

ОПИС 1

ОД. ЗБ. 978

Nr. 978

IX Hoch

2  
OENSTTU

TFONES

Congregationis


: Clericor<sup>u</sup>, Regular: Pauper<sup>u</sup>:

MATRIS

DEI

Scholarum Parum

Anno Domini 1764to



3  
GREGORIUS

Papa. XV.

Ad perpetuam rei memoriam

**S**acri Apostolatus Ministerio, per  
abundantiam Divinae gratiae nullo  
licet merito nostro Praepositi, ad ea, per  
quae Christi Fidelium, praesertim sub. iura-  
vi Religionis iugo, et in humilitatis spiri-  
tu, Altissimo famulantium, felici, pro-  
speraque directioni consulitur, libenter in-  
tendimus; et his, quae propterea facta es-  
se dicuntur, ut ab omnibus, quos illa con-  
cernunt, inviolabiliter observentur; Aposto-  
lici muniminis firmitatem adijcimus, pro-  
ut in Domino conspicimus salubriter  
expedire,

expedire, Cum itaq<sup>3</sup>, sicut Dilecti Filij,  
Propositus & Clerici Congregationis  
Pauperum M. A. R. S. D. E. S. Scho-  
larum Piarum, nobis nuper exponi  
fecerunt, ipsi pro felix et prospero ejus-  
dem Congregationis statu atq<sup>3</sup> regimine,  
Diversas Constitutiones fecerint, illasq<sup>3</sup>  
in unum volumen redegerint, tenoris  
subsequentis, videlicet:

ANSTIPI

Congregationis  
Clericorum Regni: Paup:  
Matr: Dei Scho: Puar

PARS I

PROMPTUM

Cum in Ecclesia Dei per varia instituta  
ad charitatis perfectionem omnes Religio-  
nes, tanquam in unum finem & spiritu  
S: duce tendant, id similiter sibi facien-  
dum Religio nostra per Institutum à  
Smo Dño nostro Paulo V felius  
recondationis

recordationis, qui vices Christi gessit in  
terris, confirmatum, omni conatu proponit:

In cujus diligentis exercitatione Generalia  
Concilia, & S. Patres, nec non Philosophi,  
recte sentientes Reipublica Christianae re-  
formationem consistere unanimi consen-  
su affirmant: si enim diligenter à teneris  
annis pueri pietate ac literis imbuantur,  
felix totius vitae cursus proculdubio spe-  
randus est: Et quamvis ab Omnipotenti  
Deo, qui nos ad huiusmodi messem fer-  
tilissimam Operarios vocavit, media op-  
portuna, quibus nos idoneos Veritati coo-  
peratores efficiat, humili affectu expectan-  
da sint; nihilominus tamen ipso suaviter  
omnia disponente, necessarium duximus  
prævijs Constitutionibus (ut exemplis Sen-  
torum commonemur.) Institutum hoc  
circumvallare. Et quia nos verè Pauperes.

res c Matris Dei esse profitemur, Quos  
 pauperes nusquam despiciendos, sed multâ  
 patientiâ, ac charitate, omni virtute exor-  
 nandos curabimus, maxime dicente Dño:  
 Quod uni ex minimis meis feistis, mihi fe-  
 uistis: Erit ergo Institutum nostrum à primis  
 elementis modum rectè legendi, scribendi, et  
 computa faciendi, linguam latinam, pieta-  
 tem præcipue, et doctrinam Christianam  
 pueros docere, et hæc, quâ fieri poterit faci-  
 litate executioni demandare. Et cum res,  
 circa quam versamur, tanti momenti sit,  
 ut Ministros maximâ charitate, patientiâ,  
 aliisq; virtutibus præditos requirat, sum-  
 moperè considerandum est, qui admittendi,  
 qui verò repellendi, seu prohibendi sint, à pro-  
 hibitione hujus Institutum; nisi enim delectus  
 summâ cum diligentia habeatur in recipi-  
 endis in Congregationem Novitijs, et  
 Soluta

solicita sit admodum eorum educatio, fa-  
cile quodcumq; Institutum, quantumlibet  
Sanctum labefactabitur.

## CAPIT. X.

De impedimentis eorum, qui admitti  
petunt. •

Ut ministerium nostrae Congregationis in  
Christiana Republica ad Dei laudem et Pro-  
ximi utilitatem feliciter progrediatur,  
necessarium duximus, ut qui ad eam ad-  
mitti petunt, Dextere ac prudenter exami-  
nentur et probentur. Et cum multa requi-  
rantur ad nostri Instituti ministerium,  
idoneum, qui officium examinatoris exer-  
cuerit, oportet impedimenta omnia noscat,  
quibus aliquis vel omnino excludendus, vel  
non ita facile admittendus erit.

Gravina

Graviora enim impedimenta sunt.

1mo Fuisse aliquem à fide Apostatam, vel constare aliquem suspectum vehementer de rebus fidei.

2do Fuisse professionem in alia Religione.

3tio Homicidium perpetrasse, dummodo non sit dispensatus; vel in infamiam per aliquod crimen incidisse, per quod crimen fiat inhabilis ad ordines.

4to Vinculo Matrimonij, seu promissione manifesta ad illud teneri, unde lis oriri possit, vel etiam legitimâ servitute; in hoc procedatur <sup>proquit.</sup> de jure.

Qua verò minus gravia et quae omnino à nostro Instituto peccentem admitti non excludunt, sunt quae sequuntur.

1mo Si alterius Religionis habitum susceperit, dummodo Professionem non emiserit, vel per.

per annum non steterit?

Si ere alieno fuerit vel Civilibus obligationibus adstrictus, tunc servetur forma Constitutionis Sixti Capa V.

Etas valde tenera, circa quam servetur Conalij Tridentini Decretum.

Defectus in corporis integritate.

Debilitas virium, seu notabilis exterior deformitas, juxta formam Juris.

Ortus de illegitimo Matrimonio, dummodo sit dispensatus ad Ordines.

Quodsi aliquomodo innotuerit, cum qui admitti petit, alicui ex gravioribus impedimentis obnoxium esse, ulterius cum illo non procedatur, sed placidis verbis cum consolatione, quamprimum dimittat.

Qui vero obnoxius fuerit alicui ex hujusmodi ultimis impedimentis, quod magis eo irretitus fuerit, eo mirius idoneus judicandus.

7  
dicandus est. Cum verò in eo insignis eruditio, singularis industria, vel aliqua alia excellens virtus, redderet eum Instituto nostro perutilem, tunc consulto Provinciali, De ejus consensu admitti poterit, prout eidem Provinciali videbitur.

In omnibus verò recipiendis ad probationem, exoptanda est in loquendo gratia, ut, in docendo sit facilitas.

## CAPI. 2.

De admissione Novitiorum ad probationem.

Quoniam quæ in homine intrinsicè latent passiones, difficile recognoscuntur, et difficilius eradicantur, maximi momenti esse judicavimus, si præmissò diligenti examine, super prædictis impedimentis  
diuturnâ.

diuturnâ probatione, De eo, qui ingredi  
in Congregationem petit, periculum fiat.

Oportet enim antequam communi victui  
in corpus Congregationis cooptetur, valde  
notus sit, tum per propriam, tum etiam  
aliorum relationem, videlicet Praeceptoris,  
Sodalium, Amicorum, et eorum, cum quibus  
aliquomodo versatus est.

Mox si praemissâ communi omnium Pa-  
trum, illius monasterij vocem habentium,  
oratione, Divinô ductus Spiritu judica-  
bitur, admitti poterit, veluti hospes per  
aliquot dies, Superioris arbitrio, ut eô  
tempore certior reddatur de forma nostri  
Instituti, et Patres nostri cum plenius in  
Domino cognoscant.

Quo tempore, quomodo se gerere debeat,  
ei significabitur; et signanter, nè verbô  
aut scripto nisi De licentia Superio-  
ris

ris, cum externis, aut domesticis agat, præterquam cum his, qui à Superiore designati fuerint, quo fit, ut liberius secum, et cum Deo perpendat vocationem suam.

Quod si eò tempore variis probationibus exercitatus firmiter in proposito suo perseveraverit, præmissâ (ut superius) communi oratione, ad habitum nostrum admitti poterit, et in libro ad id designato subscribat manu propriâ, quidquid domum tulit, et secularia ejus vestimenta, donec professus fuerit, in communi vestiario reponantur, nisi quod in ejus usum consumendum videatur.

Ubi verò quis ad habitum admissus fuerit, Magistro Novitiorum instruendus tradatur. Ad hoc autem grave onus, is potissimum à Generali eligatur, qui suos Novitios ad virtutum cultum promo-

vere.

vere, non solum prudentiâ, eruditione, et  
experimento sciat, sed etiam exemplo pos-  
sit. Qui videlicet communes labores liben-  
ter, et assidue suscipiat, qui in rebus Di-  
vinis et Ecclesiasticis ritibus sufficien-  
ter sit eruditus, et iussa Dei ~~in~~ <sup>in</sup> Felicitate,  
viâq; perfectionis et verbô doceat, et  
factis exprimat. Sub quo in Domo No-  
vitiarum propria, si fieri poterit, vel sal-  
tem à commertio et dormitorio aliorum  
Patrum, separati, tam Fratres Opera-  
rij, quam Clerici, biennio probentur.

Et primo illis exercitiâ spiritualia tra-  
dantur, saltem per mensem, et amplius  
si id expediens Magistro Novitiarum vi-  
debitur; quô tempore ~~tempore~~ totius vite  
confessionem generalem habere poterit.

Strenue autem probentur et exer-  
ceantur in omni genere Devotionis,

hoc

hoc est: in oratione, in sacris tum lectionibus, tum meditationibus, nec non in varijs mortificationibus, videlicet in vestibus humilioribus, in vilioribus ministerijs, præcipuè vero in silentio, et oculorum modestia, et alijs hujusmodi; similiter etiam exerceantur in proprijs voluntatibus judicijsq; frangendis, quæcumq; in sui contemptum fuerint, mansuete perferre doceantur.

De hoc autem Magistrum Novitiorum valde admonendum cupimus, ut in Novitijs omnibus diligenter scrutetur, internam propensionem, seu Spiritus S: ductum, qui gemitibus inenarrabilibus humiles orare docet, ut per eandem viam ad perfectionis fastigium quemq; promovere studeat.

Cuiuslibet Novitio cubiculum assignetur, in quo nihil curiosum, nihil singulare, aut superfluum permittatur, et tam in mensura,

sura cubiculi, et lectuli, quam in suppellectili  
necessaria servetur forma, que infra trade-  
tur. Et ut cautius Novitii in studio vir-  
tutum procedere curent, quarto quodq; men-  
se à Commissario per Generalem, seu ejus  
nomine per Provincialem nominando vi-  
sitentur; et si aliquem contumacem et minus  
idoneum ad ministerium nostrum, et qui  
aliis scandalo sit, per relationem Magistri  
et aliorum Sacerdotum (si qui in ea domo  
habitaverint) invenerit, ne alios inficiat  
omnino dimittatur.

Curet autem Magister saepe Novitios sva-  
viter interrogare de tentationibus, quibus  
magis infestantur, ut de opportuno reme-  
dio illis providere possit. Si quem autem  
in hac re invenerit minus fidelem, dili-  
genter invigilet, solent enim hujusmodi  
ut plurimum decipi.

11

Cum illis vero Novitiis, qui primò probationis annò in variis mortificationibus et signanter in studio orationis notabiliter profecerint, nè eorum, quæ antea didicerant, obliviscantur, circa studium poterit Provincialis dispensare, ad vota tamen emittenda, ante biennium non sunt admittendi.

## CAPIT. 3.

De admissione Novitiorum ad vota emittenda.

Tempore probationis feliciter peractò, qui emissurus est vota, totius vite confessionem generalem habeat, vel saltem à biennio probationis, prout illi placuerit, ut cum omni equitate de bonis, quæ in saeculo habuerit, disponere possit.

Admonetur

Admoncatur tamen, ne quidquam sibi,  
aut Religioni relinquat, sed tanquam  
pauper omnibus bonis suis testamen-  
to, vel aliomodo libere in favorem pau-  
perum, vel Consanguineorum, aut Ami-  
corum, prout sibi videbitur, (servata for-  
ma S. Concilij Tridentini) in saeculo di-  
tributis, in Pauperum Matris Dei Con-  
gregationem recipi mereatur. De his omni-  
bus Magister certiore faciat Provin-  
cialem, de cuius facultate admitti po-  
terit Novitius ad vota emittenda, devo-  
to tamen et consensu Professorum omni-  
um ejus monasterij, in quo ea emittet,  
et antequam admittatur diligenter inter-  
rogabitur.

An contentus futurus sit in Congrega-  
tione nullis uti praerogativis: nec mini-  
mum omnium velle antecire, sed ad vi-  
vendum

endum toto vite sue tempore in Congregatione, in eo loco et gradu, in quo ad Dei gloriam à Superiore constituetur?

Forma autem Professionis erit hujusmodi.

Ego N. à S. N. in saeculo N. N. Diocesis N. annorum N. facio meam Professionem solemnem in Congregatione Pauperum. Matris Dei Scholarum Piarum, et voveo Omnipotenti Deo Patri, et Filio, et Spiritui Sancto ac Deipare semper Virgini Mariae et tibi Patri N. à S. N. locum Dei tenendi pro Patre nostro Generali Praeposito N. à S. N. et omnibus Successoribus ejus legitime eligendis, Paupertatem, Castitatem, et Obedientiam, et juxta eam, peculiarem curam circa puerorum eruditionem, secundum formam Brevis

Pauli

Cauli v in nostris Constitutionibus con-  
tentam. Quam professionem et vota quibuscunq;  
in contrarium existentibus (quibus nunc liberè et integrè renuntio) non  
obstantibus, firma, rata, et valida semper fore et esse volo: In quorum fi-  
dem his à me exaratis, subscripsi. Romae  
vel N. die N. mensis N. Anno Dni N.

Insuper promitto me nunquam actu-  
rum, aut curaturum, nec ratione aliquâ  
consensurum, ut quae ordinata sunt, circa  
paupertatem in Constitutionibus nostrae  
Religionis, immutentur, nisi quando ex  
iusta causa videretur paupertas magis  
restringenda. Praeterea promitto me nun-  
quam acturum, nec curaturum, ne indi-  
rectè quidem, ut in aliquam praelatio-  
nem vel dignitatem in Religione eligar  
vel promovear. Promitto me etiam nun-  
quam.

quam curaturum extra Religionem, aliquam dignitatem seu prelationem; nec consensurum, nisi coactus sim obedientia ejus, qui mihi precipere potest, sub pena peccati. Tum si quem certo sciam, aliquid predictorum duorum curare, vel pretendere: promitto me, illum, remq; totam manifestaturum Religioni, seu ejus Generali Preposito.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus, in atrijs Domus Domini, in medio tui Hierusalem.

Ego M. à S. M. manu propria omnia supra dicta confirmo.

Quae vota, omnes usq; ad unum, quotlibet annis in festo Resurrectionis Dominice, et omnium Sanctorum, juxta ritum in Religionem solitum, praemissa generali confessione ab ultima, et exercit  
 atq;

citius spiritualibus (ut infra dicitur)  
et sacramentali Communionem, renovabunt,  
seu confirmabunt.

## CAPITULUM 4.

De recessu à secularibus.

Quaecumq; anima fidelis, ex Institu-  
to nostro, fructum plurimum percipe-  
re cupit; exhortationem illam Prophe-  
tae, sibi dictam existimet: Audi filia  
et vide, et inclina aurem tuam,  
et obliviscere populum tuum, et  
Domum dei: omnem igitur affectum,  
circa sanguine junctos, et amicos, exuen-  
dum aures, ac illum in spirituales con-  
vertat, eosq; solum secundum charita-  
tem bene ordinatam diligat, et Christo  
Domino Cui soli vivere et placere studeat  
adhaereat

adhaereat: videat, ne postquam manum  
 ad aratrum miserit, retrò aspiciat, sed oc-  
 cupationes rerum saecularium, terrenasq;  
 sollicitudines omnino requiat. Itaq; nemo  
 nostrum, sine Superioris licentia, cum sa-  
 cularibus, etiam consanguineis, colloquatur.  
 Siquis verò obiter ab iis interrogatus fue-  
 rit, nec tunc adire commodè Superiorem  
 possit, paucissimis se expediat, et rem to-  
 tam Superiori, vel ab ipso ad id deputato  
 renuntiet. Nemo etiam in causa crimi-  
 nis, vel in lite civili, testimonium ferat,  
 nisi coactus ab eo, qui legitime eum co-  
 gere possit. Nulli nostrum liceat in te-  
 stamentis condendis, etiamsi vocatus fuerit,  
 aut ipsorum executioni, se immisere, neq;  
 munus Tutoris seu Curatoris suscipere;  
 nec item Matrimonia pertractare, sed  
 secularibus saecularia negotia reliquan-  
 tur

tur: eorumq; domos, nisi pro re gravi,  
et de licentia expressa Superioris Soud ab  
eodem illi Designato, adire presumat.

Nemo seculares ad cellam suam, neq; per  
domum, sine Superioris licentia ducat.

Cum Mulieribus, quantumvis propin-  
quis et honestis, nulla nobis sit familia-  
ritas; nullorq; modo affinitas spiritualis,  
baptismi, aut confirmationis sacramento  
contrahatur cum illis, imò nec cum Ma-

sculis. A familiaritate et colloquio cum  
Monialibus, etiam Consanguineis, omni-  
nò abstineant; earumq; confessiones, nulli  
nostrum audire liceat, sed servetur De-  
cretum Sacre Congregationis. Qui vero  
secus fecerit, gravi penà puniatur.

Ante primam horam noctis claudantur  
fores, et ad Superiorem claves deferan-  
tur, apud quem, usq; ad mane serventur.

Noctū.

Noctū verò nemo nostrūm absq̄ luminis, si lampas sit extincta, (qua ex Decreto Clementis VIII, collucere debet totā nocte in medio Dormiterij) et non nisi legitimā causā ductus, domum circumneat, nè piis aliorum lectionibus, seu occupationibus, impedimento sit.

## CAPITULUM.

### De orationis studio.

Cum omnis Religio, sine orationis studio, ad relaxationem et ruinam promptior sit; curandum summo opere est, ut consuetudo mentaliter orandi, bis in die, videlicet summo mane per horam, et vesperi ante refectionem, per dimidiam, nunquam intermittatur; sed magnò et corporis, et animi silentio

tiō et quiete, flexis genibus, seu alio  
decenti modo Iesum Christum  
crucifixum, ejusq; virtutes, juxta mo-  
rem Divi Pauli, sive, et imitari, ac  
frequenter per diem recordari contentus.  
Si quis vero de licentia Superioris, ora-  
tioni non interfuerit; tempore quam-  
primum opportunō eam persolvat. Bis  
etiam quotidie, semel ante prandium,  
et iterum, antequam cubitum eatur,  
rationem dicti, facti, et cogitati, diligen-  
ter à seipsis exigant. Vocalem etiam  
orationem bis in die simul habebunt,  
post prandium videlicet Litanias B:  
Virginis Lauretaneas et quinq; psal-  
mos in honorem nominis ejusdem Vir-  
ginis consuetos, et vesperi ante conscien-  
tiæ examen Litanias omnium Sancto-  
rum communes, in oratorio recitabunt.

Insuper

Insuper omnes, quantum fieri potest,  
 in Domino hortamur; ut quoties eos in  
 cella permanere liuerit, ibidem nonnul-  
 los actus, tum externos, maxime vero in-  
 ternos, humilitatis, contritionis, gratiarum  
 actionis, et alios, prout Spiritus S. dicta-  
 verit, exercere nitantur. ut Pater Cæle-  
 stis, qui videt in abscondito, rependat eis,  
 atq; ad solidarum virtutum perfectio-  
 nem illos exaltare dignetur.

# CAPITULUM

## De silentio.

Cum scriptum sit, Religiosi, qui non  
 refrenat linguam suam, vanam esse  
 Religionem: silentium nobis, (quod  
 custos Religionis est) omni diligentia  
 observandum erit. Elatam vocem, et vol-  
 loquutionum

locutiones omnino vitabimus, neminemque  
cum alio loqui, nisi Superior concesserit,  
permittatur. His vero precipue horis lo-  
cutionibus strictius silentium seruetur, nempe  
à prima nocte, datò salutationis Angeli-  
cæ signò, usque ad sequentis diei ortum, quo  
tempore, in cellis seu in oratorio, prout  
uique per Superiorem licuerit, quiete et de-  
votè vacare studeat. Similiter in astate  
post prandium tempore quietis, datò silen-  
tij signò, ita ut occasiones loquendi, et  
congregatus omnes, Superior vitare curet. In  
Ecclesia vero, Sacrario, Bibliotheca, et refe-  
ctionis loco semper sileatur, nisi necessi-  
tas aliud postulaverit, tunc enim submis-  
sà voce et perpaucis loquatur. In aliis  
vero communibus locis, ad focum scilicet,  
ad opera communia similiter sileatur,  
aut De promovenda scholarum nostrarum  
perfectione

17

perfectiōne aliquis verba faciat, nec re-  
spondere alius præsumat, aut loqui, nisi  
prius Superior, aut qui ejus locum ha-  
buerit, annuat; qui secus fecerit, per hebdo-  
madam, aut plus vel minus, arbitriō Su-  
perioris suseat omnino. In cellam vero  
alienam nemo intret, nec etiam propriū  
Rectoris, nisi Superior concesserit; qui verō  
contrarium facere præsumpserit, gravi-  
ter Superioris arbitriō puniatur, qui cave-  
at, ne remissus aut negligens circa hoc sit.  
Tempore vero adventus et quadragesimæ  
strictius curabunt observare silentium.

## CAPIT. 7.

De suscipiendis sacramentis,  
Orationis assiduitate, et presentia Dei  
quoad fieri poterit, in exercitationibus  
quotidianis

quotidianis adhibitâ, efficacius Religiosi  
disponentur ad sacramenta piè et frequen-  
ter suscipienda. Quare Sacerdotes nostri  
quotidiè, nisi de Superioris aut Confessorij  
licentia permissum fuerit, (quod raro con-  
tingere optamus) sacrificium missæ cele-  
brabunt. Cæteri verò, tam Fratres Opera-  
rii, quam Clerici, aut in sacris constituti,  
singulis dominicis, semelq; infra hebdoma-  
dam, ac diebus festivis primæ et secundæ  
classis, celesti cibo reficiantur; et tam Sa-  
cerdotes, quam alii, bis saltem in hebdoma-  
da peccata sacerdotibus ad id deputatis  
confiteantur, et circa Sacerdotes, si quoti-  
diè celebrabunt, quotidie confiteantur,  
si necesse fuerit, nè Religiosi, qui viam  
perfectionis aggressi fuerunt, contemptu  
levium culparum, paulatim in graviores  
prolabantur. Et tam Minister Genera-  
lis

lis, quam Provincialis, alicui Sacerdoti  
 à se electo confiteantur, quem Zelatorem,  
 et monitorem officij sui, suarumq; actionum  
 habebunt. Is vero talis esse debet, ut suis  
 operibus aliorum errata emendet, sitq;  
 Subditorum voluntatis apud Superiorem fi-  
 dus interpret. Caveant autem Confessarij,  
 ne aliquorum confessiones in cellulis, aut  
 aliis locis, sed in designatis tantum à Su-  
 periore audiant, nisi illorum, qui aliquâ  
 infirmitate, vel legitimo impedimento de-  
 tinentur. Quotidie vero tam Clerici quam  
 Fratres Operarij Rei sacre intersint, si-  
 militer Sacerdotes, si qui eò die, ut dictum  
 est, à celebratione abstinuerint. Egrotis  
 vero, qui in lectulo detinentur, bis saltem  
 in mense, seu ut magis Superiori placuerit,  
 Eucharistiae Sacramentum deferatur; egni-  
 tudine vero ingravescente, curet sedulo In-  
 firmarius

firmariis, ut antequam iudicii usum  
amittant, sacramenta omnia illis admi-  
nistrentur; & grotis vero moribundis ali-  
qui adstant, qui eos ad actus contritionis,  
fidei, spei, et charitatis leniter adhorten-  
tur; in ultimo vero morbi conflictu si-  
gnò dato, omnes Religiosi conveniant, et  
piis monitis, et orationibus, migrantem  
animam totis viribus juvare studeant.

## CAPIT. 8.

De Ceremoniarum observatio-  
ne, et suppellectili Ecclesiastica.

Decorem ecclesie maxime decet, ut qui  
ad Ministerium Altaris designati sunt,  
sacros ritus et ceremonias probe calle-  
ant, in quibus, ut magis idonei fiant, se-  
mel saltem in mense omnes sacerdotes  
et

et Clerici conveniant, ubi quid tenendum sit,  
iuxta missalis, breviarii, ceremonialis, et  
ritualis romani rubricas plene observan-  
das, constituetur. Curabit etiam Superi-  
or, ut sacra Aedes, altaria, vasa sacra, sa-  
cerdotales vestes, altarium ornatus, et cete-  
ra ad Divinum cultum pertinentia (quae  
omnia summam paupertatem revolere de-  
bent) munda splendidaq; sint, ac suis  
Designatis locis collocata, Diligenter asser-  
ventur; saepe enim ex incuria rerum hujus-  
modi, animi Religiosorum, inertes à secu-  
laribus judicantur. Quae omnia ut à ma-  
culis et sordibus serventur, non facile ex-  
tra Ecclesiam utenda concedantur. Atq; ut  
Statui et Instituto nostro summae  
Paupertatis, omnia respondeant, nullum  
vas aureum nec argenteum, Cuiuspiam ca-  
llicis et pixidis quae argentea esse debet  
excepti.

exceptâ ) permittatur. Indumenta verò  
sacerdotalia, et altarium ornatus non e-  
runt serica, nec sericis, argenteis aut aure-  
is superornata fimbriis, neq; in huiusmo-  
di vasis, et indumentis, aliquomodo conce-  
datur secularibus, ut insignia sua insu-  
ant, aut sculpant. Ecclesie verò et sacel-  
la, et id genus alia secularibus extru-  
enda concedi poterunt, non tamen Pauper-  
tati nostræ dissona, in quibus insignia  
et inscriptiones honestas tamen et à supe-  
riore probatas indere possint; nullate-  
nus tamen permittatur, ut conditio ali-  
qua onerosa, et à nostro Instituto alic-  
na nobis imponatur, ut sunt missæ, et of-  
ficia, et alia similia, in perpetuum dicen-  
da, quæ nunquam in Congregationem, nec  
reditus annui, etiam pro Ecclesie fabrica,  
seu restauratione, et ornamentis sacrarij,  
aliquomodo

aliquomodo admitti volumus.

# CAPIT. 9.

## De Infirmis.

Cum nostrum aliquis egrotare caperit, Infirmarium admoneat, qui si rem cer-  
seat esse gravem, Superiorem certiore  
faciat, ut in valetudinarium (si opus fu-  
erit) Ducatur; et magnoperè curandum  
est, ut necessaria ei accurate et sedulo mi-  
nistrentur, nè Paternæ domûs benevolentiam  
et commoda optare posse videatur. Not-  
damur autem Egrotum, ut magnam sui  
edificationem omnibus, qui eum invisent,  
præstare curet, verbis piis quæ patientiam  
præferant, utendo, et asserdat morbum de  
manu Clementissimi D<sup>ni</sup> uti domum à  
se acceptari: cum reverè ægritudo non minus  
domum

donum sit, quam sanitas. Quotiescunq; Me-  
dicus Infirmos inviserit, adsit Infirmaria-  
rius, qui diligentia, charitate, patientiaq;  
præditus sit, et nihil omnino eorum, quæ  
Medicus injunxerit, prætermittat: statu-  
tisq; horis juxta Medici præscriptum, ut  
bum bonum, ac bene preparatum, et me-  
dicamenta eis præbeat; Superiori autem  
cure sit, ut Infirmi placide, et cum cha-  
ritate tradentur; alternis saltem diebus e-  
ipse inviset, et in morbi initio, ut confitean-  
tur, moneat: nec plures, quam tres ad In-  
firmum confluant, nec sermonem cum  
eo multum protrahant, ne multi simul  
et longiore sermone agrotum molestia affi-  
ciant. Infirmorum lecti latiores sint, et  
duæ culcitre, et duo pulvinaria seu plu-  
ra Superioris arbitrio concedi poterunt.  
Similiter et linteamina, et subucula ex  
panno

panno lineo, donec pristinam sanitatem  
 receperint, concedantur. Senum vero et eo-  
 rum, qui corporis imbecilla sunt valetu-  
 dine, ratio habeatur, eosq; Superior, si ex-  
 pediens judicaverit, jejuniij onere solvat,  
 illisq; aliquem ex Fratribus Operariis,  
 aut Clericis, si opus fuerit, ministrare  
 jubeat. Si autem aliquis pro tuenda  
 sibi aut recuperanda sanitate, aeris mu-  
 tatione indigere videatur, ad orationem  
 confugiat, et rem Patri Provinciali no-  
 tam faciat: Deniq; quae ille decreverit, tan-  
 quam omnium optima, summâ animi  
 quiete recipiat, neq; circa hoc amplius ur-  
 geat aut requirat. Communis Medicus  
 pro Infirmis omnibus curandis, à Super-  
 iore eligatur, neq; alius à quoquam sine  
 ejus licentiâ adhibeatur: nec etiam medi-  
 cinalia absq; Infirmarîi consensu pro-  
 curare

curare quis audeat. Universæ verò Subdi-  
torum omnium valetudinis cura à Super-  
iore adhibeatur, et invigilet ipse, ne quis  
in studiis, vigiliis, abstinentiis, et aliis pa-  
nitentiis externis, ac laboribus indiscretis  
(quæ magna nocumenta afferre, et ma-  
jora bona impedire solent) plurimum  
temporis insumat, sed quidquid hac in  
parte fecerit, Superiori suo ac Confessa-  
rio fideliter detegat.

## CAPITULO X.

De sacrificiis et orationibus  
pro Defunctis.

Quoniam eorum, quos in vita hac mor-  
tali, ac domestica disciplina, ut verè in  
Christo Fratres habuimus; post mortem  
nullatenus oblivisci debemus, sed piis  
suffragiis

suffragiis et orationibus, eas, quantum fas  
 est, in Domino juvabimus: Cum primus  
 igitur quis nostrum spiritum exhalave-  
 rit, ejus cadaver abluatur, Decenterq; sta-  
 tim suis vestibus induatur, et in orato-  
 rio, seu aliquo decenti loco, spatium unius  
 diei naturalis, custode, ac luminibus adhi-  
 bitis, asservetur, nisi citius ob tetrum odo-  
 rem, humandum Superioris arbitrio vide-  
 retur. Dumq; in oratorio seu in Ecce-  
 sia defunctus sistetur, officium integrum  
 Defunctorum à nostris recitabitur; et pro  
 ejus anima, sacerdotes illius domus, ter  
 Sacrum facient quamprimum; Reliqui  
 vero ter vesperas Defunctorum, seu tres  
 B. M. V. Coronas dicent; Et ut omnes il-  
 lius Provinciae sacerdotes Sacrificium  
 offerant, et reliqui semel vesperas Defuncto-  
 rum seu Coronam ejusdem B. M. V. reci-  
 tent

tent, quamprimum poterit Superior illos  
De obitu Patris vel Fratris certiores faci-  
et, cujus nomen et diem obitus, ad Gene-  
ralem pariter mitterendum curabit. Pro  
Patre vero Generali, cum eum ex hac  
vita migrare contigerit, omnes totius Con-  
gregationis Sacerdotes, et alij, ter ut supra  
idem facient. Pro Patre Provinciali ve-  
ro Sacerdotes omnes illius Provinciae si-  
militer facient. In obitu vero Summi  
Pontificis Sacerdotes omnes bis Sacrum  
facient, semel pro Defuncti anima, et  
iterum pro Pontifice eligendo. Tertio no-  
nas Novembris singulis annis à No-  
stris missa celebretur pro his, qui ex  
nostra Congregatione ad illum usque  
diem defuncti fuerint, eorumq; etiam  
saepius in missis Sacerdotes nostri memi-  
nisse curabunt.

# CAPITULUM.

De Capitulo culparum, et mortificationibus habendis.

Nè per contemptum levium culparum fiat ad graviores aditus; singulis sextis feriis, quò die, pro omnibus culpis Christus in crucis patibulo penas dedit, erit capitulum culparum in omnibus dormitiis. In Novitiatu vero frequentius, si id Magistro expedire videbitur, in quo postquam quis genuflexus humiliter se accusaverit, nemo de illo aliquid dicat, nisi qui à Superiore ad id requisitus fuerit, eosq; eliget, quos charitatis et perfectionis zelò praditos esse noverit; si quidem tamen gravem alicujus tentationem noverit, Superiorem secreto moneat, ut con-

veniens

veniens remedium, paternâ charitate adhi-  
bere possit. Similiter singulis Dominicis  
diebus, capitulum ad mortificationem exer-  
cendam fiet; in quo habitô à Superiore  
vel alio de ejus ordine, brevi de necessita-  
te mortificationis passionum sermone,  
aliquas illâ hebdomadâ mortificationes  
exercentur, ut infra dicitur; ut ita passi-  
one eradicatâ, altius in mente virtus im-  
primatur. Et ut hujusmodi actus omni-  
bus cooperetur in bonum: curet Superi-  
or, viribus omnibus internis externisque  
perpensis, ne alicui plus debito oneris, nec  
aliquid sordidum, aut quod nauseam  
provocet, imponat; noveritq; in diligenti-  
ac provida horum capitulorum executio-  
ne, magnam omnibus sibi subditis utili-  
tatem se allaturum. Quod si quis præ-  
dictis exercitationibus, parùm in vita spi-  
rituali

rituali proficere videbitur, ad Domum No-  
vitiarum transmittatur, ubi in loco à No-  
vitiis sejuncto, acrius exerceatur, et viam  
vera perfectionis (quam omnes Religiosi  
profiteri tenentur) ingredi, doceatur.

Ordinaria mortificationes  
erunt hujusmodi.

Fratrum omnium pedes deosculari geni-  
bus flexis, manibus post terga cancellatis,  
in medio Refectorii consistere, subtus  
mensam comedere, vel ad januam Refe-  
ctorii, quae ei concesserit Superior, genufle-  
xus comedere, seu in medio Refectorii se  
flagellis cadere, seu etiam noctu in eccle-  
sia se funiculis verberare, solū pane et aqua  
ad prandium uti, cilicio seu catenula per  
faciem corpus circumdare, lances in coquina  
detergere, telas aranearum per universam  
Domum divellere, et alia harum similes,

pro arbitrio Superioris, et capite subdito-  
rum imponi poterunt.

## PARS II.

### CAPIT. I.

De tribus votis in genere.

Ad fastigium perfectæ charitatis, quæ  
vinculum perfectionis dicitur, qui aspira-  
re desiderat, nihil facilius, nihil conduci-  
bilius invenire poterit, quam si illarum vir-  
tutum præxim fideliter observaverit, quas  
Religiosi Viri, qui seculo renuntiantes, et  
Deo adherere cupientes, sub voto adstricti,  
profiteri conantur, siquæ fiet, ut per veram  
Paupertatem, Castitatem, et obedientiam,  
et alia superius recensita, bonis omnibus  
externis

25

externis, ob Dei amorem addicatis, corpore  
etiam, et animo celerius post ipsum cur-  
rant. Et ne tantae promissionis, quae ma-  
gnam habet remunerationem, immemores  
sint, curabit Superior, non solum tabicu-  
la saepe, sed etiam per examen Subditorum  
consuetudines disquirere. Similiter etiam,  
ut tertio quoque mense, dum ad mensam  
accumbunt omnes, libellum hunc Consti-  
tutionis aliquis distincte legat, Regulas  
etiam modestae, Ritus, et consuetudines  
Congregationis in principio cuiusque men-  
sis. Et ut feliciori cursu, et novo semper  
mente viam virtutum perficiant: optamus  
singulis diebus, coram Sanctissimo Eucha-  
ristiae Sacramento genibus flexis supra  
dicta vota iterare seu confirmare consue-  
scent. Quod in festo Resurrectionis Domi-  
nica et solemnitate omnium Sanctorum  
singulis

singulis annis, iuxta consuetum morem,  
praviã ab ultima generali confessione, ab  
omnibus fieri statuimus, ut supra di-  
ctum est.

## CAPIT. 2.

### De obedientia.

Dicente Christo Domino Salvatore No-  
stro. Non veni facere voluntatem meam  
genus maxime stultitia videbitur, si quis  
in nostra Congregatione voluntatem  
propriam facere præsumpserit, sed omnes  
unanimesi consensu sinceram obedientiam  
complectantur, qua sola (teste D Gregorio)  
virtutes ceteras menti inserit, atq; inser-  
tas custodit. Quocirca Superiorem, quicum-  
que ille sit, ut Patrem revereantur, eiq;  
integre, prompte, fortiter et cum humi-  
litate

litate debita, sine legitima excusatione, aut  
 obmurmuratione obediant; idq̄ facile exe-  
 quentur, si Christum Dñum in quolibet  
 Superiore cognoscere curabunt, licet diffi-  
 lia et sensui repugnantia iubeat; Cum  
 ipse Superioribus dixerit, Qui vos audit, me  
 audit, qui vos spernit, me spernit: Boni e-  
 nim Religiosi partes erunt, non expectare,  
 ut Superior scripto aut voce severe aliquid  
 præcipiat, sed sufficiat ei, si signum ali-  
 quod perspicuum voluntatis Superioris,  
 absq̄ expresso præcepto viderit, considerando  
 quod propter ipsum Deum summè dile-  
 ctum, homini obedientia præstat, ut sic  
 cum amore, et sine perturbationis timore  
 in omnibus procedatur. Asvescant enim  
 non intueri, quis ille sit, cui obediunt,  
 sed potius, quis ille sit, propter quem, et  
 cui in omnibus obediunt, qui est Christus  
 Dñus

Dñus, Si quid vero oneris imponatur ali-  
cui, quod vires sibi excedere videatur, id si  
palam est, ne recuset, sed in Dño confisus  
humiliter subeat: virtus enim Domini  
in infirmitate perficitur. Si vero debilitas  
sua seu ineptitudo Superiorem lateat, hu-  
militer, placide, et aperte ei significet, quid  
se ab officio illo suscipiendo absterreat, et  
nihil amplius circa id voluntatem Superi-  
oris urgeat, sed humiliter illius beneplaci-  
tum expectet. Liberam quisq; suiipsius re-  
rumq;, quibus utitur, de licentia tamen  
sui Superioris, dispositionem eidem Superi-  
ori cum omni obedientia relinquat. Nil  
ei clausum, nè conscientiam quidem pro-  
prium tenendo, sed de ea sæpe rationem  
ei reddat, nullòq; modo ei repugnando, nec  
ulla ratione iudicium proprium Superi-  
oris iudicio contrarium demonstrando,  
ut

14  
ut per unionem ejusdem sententia, et vo-  
luntatis, et per debitam submissionem  
melius in Divino obsequio conservetur,  
et progrediatur. Ad ejusdem Superioris  
vocem proinde ac si à Christo Dño egre-  
deretur, seu à Campanæ signum quam  
promptissimi sint omnes, re quavis alij  
adeo, litera à nobis inchoata necdum  
perfecta relicta. Religiosi enim Viri (ut  
ait Casianus) adeo cunctis virtutibus  
obedientiam præferre debent, ut univer-  
sa dispendia subire contenti sint, dummodo  
obedientia bonum, in nullo violare vi-  
deantur. Neq; solum Superiori Domus  
ubi morantur et Majoribus in Congre-  
gatione, Præpositis, sed eorum quoq; sub-  
ministris, in his, quæ ad eorum officia  
spectant, humiliter etiam obediendum  
est, firmiterq; teneant omnes, cum Super-  
ioris

rioris voluntatem exequuntur, se errare  
non posse, ubi tamen peccatum non est  
sed rem tunc gratissimam Deo facere, cum  
se regi à Divina providentia per Superio-  
res suos sinere debeant, ac si Asellus ille,  
cui Christus in die palmarum insidebat,  
esset, qui quoque se agi et duci sinebat.  
Adimpleantq; omnes quasvis penitentias,  
etiamsi ipsis ob defectum non culpabilem  
injungerentur. Nemo literas extra domum  
mittere præsumat, sed Superiori, aut illi, quem  
Superior destinaverit, legendas prius præsen-  
tet, et si ad ipsum missæ fuerint, Superiori  
statim reddantur, qui lectas reddet, aut non,  
ei, cui inscriptæ sunt, prout magis expediens  
in Dño judicaverit. Contra vero memi-  
nerint Superiores auctoritate prudentiâ  
et discretionem conjungere, ut hominibus se  
præesse cogitantes, humanitatem potius  
exerceant

18  
exerceant monendo, quam jubendo severitatem.

# CAPIT. 3.

## De Castitate.

Et si dum in carne mortali Religiosi permanent, præclarum sit Castitatem ad Angelorum imitationem aspectu, incessu sermone, et totius corporis formã colere; sciant autem turpissimum esse hanc celestem virtutem, aliquomodo maculare. Vitabunt igitur omni studio impuras cogitationes, in principio illas ad petram allidentes, obscenas sermones, et quidquid sæculi vanitatem redoleat, præcipue tamen oculorum modestiam nè mors per fenestras intret, diligentissime observabunt.

Feminarum consuetudines et colloquia, quantūvis

quantumvis Religiosa videantur, etiam  
si fuerint Matres, et Condanguineæ ali-  
quorum ex Discipulis nostris, valde sunt  
fugienda. Et si quando alicui ex nostris  
Magistris cum muliere aliqua colloquen-  
dum erit, non nisi presente à Superiore  
Deputato id fiat, atq; perpauca; si verò  
occasione infirmitatis alicujus disci-  
puli, aut alterius personæ, aut aliâ ur-  
gentissimâ causâ aliquis nostrum ad  
domus Sacularium ire teneatur (quod  
tamen raro fiat) non sine aliquo Sa-  
cerdote sene, aut moribus exemplari,  
à Superiore Deputato Comite ibit, et si-  
mul semper breviter se expedite uerent,  
nec ibi aliquomodo comedant aut bibant,  
cum extra nostras domos id facere non  
liceat. Similiter etiam cum agendum  
erit cum discipulis in scholis, seu oratio-  
rio

99  
rio, modestiam, et omnium virtutum specimen illis exhibeant, nec propriis manibus illos verberent, sine Superioris licentia, nec alicui ex illis particularem affectum asendant; sed cum omni modestia, et literis, et bonis moribus illos instituant, finitisq; scholarum exercitationibus, nullus ex discipulis in scholis remaneat, sed eos, ut moris est, ad proprias domos comitabunt quem humilitatis actum omnes exequentur, etiam Confessarii, et Superior saltem in hebdomada semel.

## CAPI. 4.

De medijs conservandæ Castitatis.

Sanctorum exemplo et doctrinâ commoneamur per jejunium et voluntarias corporis mortificationes in nobis virtutem

tem Castitatis innovari, cum revera ceteris vitis dominari nemo possit, nisi prius ingluviem restrinxerit ventris. Itaq; præter quotidianam exigui sufficientis tamen victus frugalitatem, nostro Instituto apprimè necessariam, moderatus rigor ieiunij quandoq; addendus est, ut certis temporibus corpore impensius macerato, anima purior liberè vacet Deo. Quocirca præter ieiunia, quæ cunctis fidelibus Romana in-  
dicat Ecclesia, hæc etiam à nobis servanda Decernimus: Ieiunium scilicet adventus Dni, ieiunium verò feriæ sextæ per anni circulum, in memoriam Cassidii Redemptoris nostri strictius servabitur contenti tantum pane et aquâ et pulmento unò ut moris est, seu etiam modico vinò propter stomachum Superioris arbitrio, nisi eò die occurrat festum,   
auius

cujus vigilia ieiunetur, seu sabbatho sit  
 de præcepto ieiunandum, tunc enim in hu-  
 iusmodi diem poterit ieiunium hoc trans-  
 ferri. Similiter etiam præveniemus septem  
 festivitates B. V. ante cuius Assumptio-  
 nem ieiunabitur, more solito à festo S.  
 Laurentii. Secundâ autem feriâ nullo-  
 modo carnibus vescemur, exceptâ feriâ idâ  
Paschatis et Pentecostes. In illa verò  
 Regione seu Oppido, ubi id Difficile obser-  
 varî poterit, et cum iter agentibus, Gene-  
 ralis dispensare poterit. Feriâ autem quartâ  
 ut facilius spiritui caro subdita sit, je-  
 iunabitur etiam per anni circulum, nisi  
 in ea occurrat festum aliquod, cuius vi-  
 gilia ieiunetur; ubi verò Generali vide-  
 bitur, uti poterunt lacticiniis et ovis.  
 Universi verò cibi nostri, paupertatem  
 et simplicitatem redoleant, et nullo mo-  
 do

do emantur pretiosi, aut laute condian-  
tur. Vini etiam, in quo est luxuria (teste  
Apostolo) habeatur ratio, ne sit pretio-  
sum aut perniciosa, praecipue Junioribus.  
Avium, nullum genus ematur, nisi pro  
Infirmis, aut senectute gravatis; quod  
si donentur, comedantur, si Superiori  
videbitur. Extra mensam nec comedere  
aut libere aliquid cuiquam licitum sit,  
nisi à Superiore obtentâ licentiâ. Ad pri-  
mam mensam, quam praecedet benedi-  
ctio, et sequetur gratiarum actio juxta  
Breviarij Romani ritum, in qua singu-  
lis mappula tantum singula apponân-  
tur, accedant omnes, nec sine licentiâ ac  
justa de causa aliquis absit; quod si  
quis abfuerit ad secundam statim ac-  
cedat. Victus communis sit omnibus,  
et aequa portio in utraq; mensa, idem  
omnibus

omnibus ferulorum numerus. Ad pran-  
 dium, præter pulmentum, Dabitur portio  
 qua 4 uncias non excedat, etsi per pauper-  
 tatem licuerit, dabuntur aliqui fructus  
 in fine prandii, seu aliquid simile. In  
 aliquibus verò festiuitatibus poterit eti-  
 am aliquid addi in principio prandii,  
 Superioris arbitrio, quod portionem non  
 excedat. Cæna verò ad conservandam va-  
 letudinem sit levis. In omnibus ta-  
 men his, habeatur ratio senectutis et  
 imbecillitatis. Mensa condiatur sacræ  
 lectione ut moris est, quam omnes si-  
 lentio audiant, ne corpus tantum, sed  
 animus simul nutriatur; de qua postea  
 in communi recreatione poterunt ali-  
 quid ad ædificationem recolere, ut ipsa  
 etiam recreatio sit utilis, nullusq; opi-  
 nionem suam nisi Superior annuat di-  
 cere

core præsumat Lectoris errata solus Superi-  
rior, aut ab eo deputatus corrigat. Nemi-  
ni ad mensam peculiarem cibum sibi fer-  
re, aut præter id, quod apponitur, requi-  
rere liceat. In domibus verò Sæcularium  
et Parentum, intra urbem, aut etiam  
rure degentium, nulli comedere liceat, ni-  
si de licentia in scriptis à Superiore  
obtentâ; quæ tamen rarò concedi debet  
sed curent omnes ad horam prandij do-  
mum reverti. Rarò etiam externi, quo  
ad fieri poterit, nobiscum vescantur.  
Ad studium etiam servanda Castitatis,  
pertinet corporis afflictatio, videlicet:  
cilicium, aut catenulam, semel saltem in hebdo-  
mada carnem vexare; in qua etiam Cut-  
moris est) feria videlicet 2da 4ta et 6ta  
erit communis flagellatio, quæ vulgo  
disciplina vocatur, prout in libello de  
ritu

52  
ritu uniformi notabitur.

# CAPITULUM 5.

## De Paupertate.

Venerabilis paupertas pretiosa humilitatis, ac aliarum virtutum parens, ut mirus Religionis firmissimus, à viris Religiosis diligenda, et in sua puritate firmiter conservanda, cuius effectus aliquando experiri curabunt omnes.

Nemo igitur nostrum aliquid proprium habere, neq; appellare audeat, sed communi vocabulo significet se nihil proprium in hoc saeculo possidere, paratusq; sit semper ad mendicandum ostiatim, quando necessitas et obedientia id exigat, et non solum sibi persuadeat, sed etiam optet, ut vilissima quaeq; erunt ex his quae domi sunt, ei tribuantur. Nemo etiam  
apud

apud se, vel apud alium pecuniam seu  
aliqua Deposita habeat. Mutuò vero da  
re, vel accipere, vel dispensare de his, quæ  
apud se, vel domi sunt, non solum externis  
sed nec domesticis, sine Superioris licentia  
nemo possit. Capse vero seu arce ad ele  
emosynas corrogandas in Ecclesia, seu  
alibi, nullomodo collocentur, etiam sub  
pretextu sacristiæ, missatum, concionæ,  
Confessionum, Bibliothecæ, aut alio quo  
vis titulo. Si quæ vero eleemosyna, sponte  
oblata fuerint, ad Economum seu Pro  
curatorem mittantur, qui sit ex Fratri  
bus Operariis; à quo juxta Superioris  
prescriptum, prout opus fuerit, impen  
dantur, quæ eleemosyna, si non urgeat  
necessitas, non accipiantur. Apud Eco  
nomum vero erit liber accepti, et expen  
si, in quo fideliter, per singulas hebdo  
madas, menses, et annos, præsentem Su  
periore

periore, seu ad id Deputato, summa refe-  
 ratur, ut iisdem temporibus pro Be-  
 nefactoribus ad Dnum peculiare ora-  
 tiones fundantur. Omnes vivant ex  
 eleemosynis, vel mendicatis vel spon-  
 te oblatiis, quæ tamen congruis tempo-  
 ribus ad annum provideri poterunt, ne  
 quotidiano labore exercitationes litera-  
 riæ impediuntur. Præter Ecclesiam, do-  
 mum ad exercendas scholas pias, et ad  
 habitandum, hortumq; contiguum, nul-  
 la bona stabilia admittantur, sed tam  
 huiusmodi bonorum, quam heredita-  
 riæ successione, censuum, reddituum, an-  
 nuorumq; proventuum, et horum simi-  
 lium tum Domus et Ecclesie, nostræ Con-  
 gregationis, tum profecti, in eadem erunt  
 omnino incapaces. Nullumq; jus ad per-  
 tendum in iudicio illis acquiratur, ta-  
 men communitas loci illius possit ubi  
 aliquo

aliquid legatum fuerit, pro reparandis  
scholis piis, seu Ecclesiis, si necessitas ur-  
geat, recipere, et ministrare. Si quis vero  
ex nostris, aliquem induxerit, testamen-  
to, vel alio modo, aliquid legare Ecclesiis  
nostris, aut Congregationi, aut Consan-  
guineis suis, graviter puniatur. Legata  
vero (soluta in urbe presenti ore alieno)  
et habita sufficienti juxta Ministerium  
nostrum habitatione, ubiq; rejiciantur,  
ut sic praesens litibus et controversiis, cha-  
ritas cum omnibus conservari possit  
et augeri. Bona vero mobilia, ne sint  
superflua, eaq; redoleant paupertatem;  
prout in Regulis Visitorum notabi-  
tur. Nemini nostrum sit licitum, pro  
suis Amicis, et propinquis, aut pro extra-  
neis, eleemosynam petere, neq; sponte ad  
clargiendum pauperibus oblatam, seu  
ad aliquam restitutionem faciendam,  
sine

sine superioris licentia expressa, accipere  
 Paupertas etiam erit in cubiculis,  
 et in suppellectili, quae ibi necessaria  
 erit; in quibus nemo horologia, aut  
 capsulas Reliquiarum, libros curiose or-  
 natos, imagines Sanctorum sculptas,  
 vel depictas, praeter Dni Redemptoris  
 nostri et ejus Matris, et Sancti ejus  
 Patroni, et aliquorum Sanctorum, sim-  
 plicet tamen, et chartaceas habeat, ni-  
 hilq; clavibus obseratum. Cubicula, in  
 latitudine decem, et in longitudinem  
 duodecim palmos Romanos ne excedant,  
 Lecti vero latitudo, quatuor tantum ha-  
 bere poterit, in quo, unam culcitram ex  
 paleis confectam, et pulvinar simile,  
 cum duobus aut tribus lanceis stragulis  
 sive linteis, quisq; habebit, et reliqua ibi  
 necessaria, Paupertati nostrae conveni-  
 entia sint, quae omnia singulis mensi-  
 bus

būs, aut sepius, à Superiore visitentur, nè  
quid ibi retineatur, quod vitio proprietatis  
simile sit, nè quid sordidum, aut mi-  
nùs compositum quisquam habeat.

## CAPIT. 6.

### De vestibus.

Vestes nostræ, ut Clericos Pauperes Ma-  
tris Dei decet, ex panno nigro, vili ac  
rudi conficiantur, in quibus simul cum  
paupertate emiteat munditia. Et nè à  
summa hujusmodi paupertate in di-  
stanti aliqua Provincia nostri in ve-  
stibus declinent, curabit, qui in ea  
Provincia erit Superior, ex vilioribus  
pannis, quibus illic plebeij communi-  
ter utuntur, ad Generalem mittere, ut  
ex eo, quem C. Generalis elegerit, fi-  
ant in illa Provincia vestes. Tunica ta-  
lanis

laris sit undiq<sup>3</sup> conclusa, ante pectus so-  
 lum aliquantulum aperta, qua glan-  
 dulis lignicis obserari debeat. Pallium  
 vero ex eodem panno, erit ad mensuram  
 hominis genuflexi; qui modus erit omni-  
 bus in Congregatione Professis commu-  
 nis; Similiter vestes interiores sint Pau-  
 pertati convenientes, subuculâ utentur  
 nostri, lancê tamen, et similiter sudari-  
 olô lancê, Sacerdotes et Clerici biretis in  
 modum Crucis efformatis eodem modo  
 utentur. Fratres vero Operarii pileis,  
 seu galoris, qui honestatem præferant,  
 et ut vestitus noster in sua nuditate con-  
 servetur, sandalijs seu calcêis fenestra-  
 tis in nudis pedibus utentur. Tibialia  
 vero, quæ pedem discoopertum relinquunt,  
 erunt nigri coloris. In Provinciis vero  
 seu Oppidis nimio frigori, hyemis tem-  
 pore expositis; poterunt nostri (si ad con-  
 servandâ

servandam valetudinem necesse videbitur  
Medicorum consilio) per tres aut quatuor  
menses de licentia in scriptis expres-  
sa *Enlis* idoneis uti, quam *Enlis*  
in locis frigidioribus, prout vigerint  
frigora, possit prorogare, usq; ad quin-  
tum vel sextum mensem, ubi pro sanda-  
lij uti etiam possint societas ligneis  
Omnes autem in *Dño* valde hortamur,  
ut vestium paupertatem, munditiã  
decorare curent, tum in vestibus ex-  
terioribus, tum interioribus; quod ut  
commodè fieri possit, curabunt Superi-  
ores ut in vestiario ad hujusmodi mun-  
ditiã sint vestes sufficientes, non au-  
tem superflue. *Cammi* verò, ac vesti-  
menta omnia, sive lanca, sive linea, in  
communi vestiario reponantur, exceptis  
his, quæ cuiq; Superioris arbitratu uten-  
da distribuentur. Comam et barbam <sup>ves.</sup>  
<sub>simili</sub>

simili modo tondeant; nemo nutriat, ne-  
vè radat, sitq; tonsioni communi dies  
designatus; tonsura vero clericalis, bis saltem  
in mense renovabitur

# CAPIT. 7.

## De Modestia et Charitate.

Ad Christi imitationem, in Congre-  
gatione nostra, omnes modestiam obser-  
vabunt; præcipue vero in oculis, in ince-  
ssu, in corporis habitudine, et non tan-  
tum in sermone, sed etiam in modo lo-  
quendi. Prælati omnibus S. Romanæ  
Ecclesie et Principibus secularibus, et  
similiter Superioribus nostræ Congrega-  
tionis, debitam reverentiam præstabunt  
in quibus Christi Dni personam obser-  
vare curabunt. Omnes etiam se invicem  
venerentur

venerentur, et cum magna reverentia collo-  
quantur, Superiorem verò genuflexi. Ob-  
murmurationes tam de nostris, quam de  
externis non fiant; caveantq; omnes à ver-  
bis facetis aut scurrilibus, mordacibus,  
seu contumeliosis, et similiter multiloquis  
et ab omni eo, quod specimen immodestitatis  
aut dissolutionis præferat. Non sint  
cupidi audiendi ea, quæ in sæculo agun-  
tur, nec etiam, quæ in aliis domibus nostræ  
Congregationis, nisi quantum Superior con-  
cesserit. Nemo alium mortificet, nisi ad eum  
ex officio spectet, neq; contentiose quidquam  
agat, aut in colloquutionibus vocem ex-  
tollat, neq; alios officio nominibus vocet  
neq; propriis per diminutionem in con-  
temptum, nec solum nomine Patriæ, sed  
nominibus et cognominibus in nostrâ  
Congregatione solitis præter Præm et  
Superiorem

Superiores Ministros, quos nomine officii  
 appellare poterunt. Curet Superior (quo  
 ad eius fieri poterit) ut idem omnes sa-  
 piant, idem dicant, omniumq; sit iudicium  
 unum, et voluntas una; quo fiet, ut jun-  
 cti in vicem charitatis vinculo efficacius  
 possint se obsequio Dei et Proximorum  
 utilitati mancipare; qui autem de iis quae  
 domi, aut inter Fratres aguntur, cum sa-  
 culari aliquo tractaverit, graviter puniatur.  
 Doctrinas Differentes, si quae oriantur, ver-  
 bis, lectionibus, aut scriptis, libris, vitabit,  
 nihilq; in Congregatione typis mandetur  
 sine approbatione et consensu Philis, idq;  
 raro fiat, et sub nomine proprio Autho-  
 ris, sine furo, et omnis aditus ambitio-  
 nis tollatur. In nostra Congregatione  
 nullomodo permittatur animorum pro-  
 pensio ad partem alterutram factionis  
 quae

qua solet esse inter Principes, inter Civitates et Cives; seminarium enim gravium malorum esset, sed sit inter nos quidam universalis amor, quo partes omnes, licet sibi invicem contraria sint in Dño complectamur, et pro earum unionē oremus.

## CAPITULUM.

De gymnasiis seu scholis piis.

Cum per diligentem Puerorum eruditionem, ad quam, tanquam in suum peculiarem finem, nostra Congregatio intendit,

Reipublica reformatio (ut plurima dactemonica concilia affirmant:) dependeat, nulli dubium erit, quin Institutum nostrum, si quā fieri poterit, diligentia exercetur, sicut antehac observatum est, si posthac à multis Civitatibus, Oppi-  
dis,

7

38

Dis, et Castellis instantissimè petatur. Quare summoperè cavendum est, nè plura gymnasia, seu schola pia admittantur, quam ipsa Congregatio commodè de necessariis Ministris providere possit; quin potius in his, quæ jam admissa sunt, magna adhibeatur diligentia, ut roborentur, et perficiantur, ante alterius gymnasii admissionem, quod semper Superiores valde observandum curabunt. Qui autem Instituti nostri operam postulaverint: Ecclesiam imprimis cum necessariâ Suppellectili, (sed quæ paupertati conveniens sit) ut supra dictum est, et scholas pias ad discipulos instituendas, et domum ad nostram habitationem cum vili suppellectili, et Bibliotheca necessariâ, et hortum configuum ad evitandum otium, parabunt. Circa prædictum in capite de Paupertate dispositum

Sicut

situm est. Quorum bonorum stabilium do-  
minium ad sedem Apostolicam statim de-  
volutum censeatur. Forma autem et mo-  
dus aedificiorum pro nostro Instituto  
exercendo construendorum, ut in eis vera.

Paupertas conservetur ad C. Pnlem mit-  
tetur, qui in eis observari faciat Pauper-  
tatem cum simplicitate; Et ut in hujus-  
modi domibus, possit à nobis regularis  
observantia in suo vigore conservari, non  
minus quam duodecem ex nostris in sin-  
gulis Oppidis commorari idem Superior  
curabit juxta laudabilem Clementis VIII  
constitutionem: quocirca in hoc nisi ex ur-  
gentissima causa C. Pnlis non dispensa-  
bit. Quodsi aliqua Domus justas ob cau-  
sas relinquenda erit, id sine licentia et con-  
sensu C. Pnlis non fiat, qui adhibito  
ad hoc consilio sibi Assistentium et alio-  
rum

rum, quos ad id idoneos judicaverit, oratione promissâ, et re mature considerata, quid faciendum sit, decernet. Onus vero regendi seminaria non permittatur nostris, neq̃ secularium convictorum.

# CAPI. VI.

## De gubernatione gymnasiorum, sive Scholarum Piarum.

Uniformitas in modo gubernandi domos nostras particulares, nostris magna erit utilitati, externis vero exemplo et edificationi. Curabit ergo Pils ut ab omnibus (quoad ejus fieri poterit) eadem forma observetur: Singulis ergo domibus nostris, singuli Ministri locales assignentur, in variis mortificationibus, in obedientia et humilitate probati, in rebus agendis versati.

versati, qui donum discretionis habeant,  
ut sciant suis loco et tempore severita-  
tem cum benignitate miscere, sint etiam  
tali virtute et moribus præditi, quibus  
Generalis, seu de ejus ordine Provincialis,  
tuto potestatem suam committere possit.  
Ministri ergo officium erit, imprimis ora-  
tione, et sanctis desideris, Domum, et scho-  
las pias, quasi propriis humeris sustine-  
re; deinde curare, ut Regulae et Constituti-  
ones ab omnibus sibi subditis observen-  
tur, illa etiam, quæ ad Discipulos exter-  
nos pertinent; Invigilabit etiam, ab iis  
quæ suorum Subditorum, tam Domi,  
quàm foris sanitati nocere poterunt,  
eos defendere, tum præcavendo, tum et-  
iam remedia oportuna adhibendo, ita ut  
magis in virtute et literis proficiant;  
considerabitq; attentè quomodo quisq; officii

40

ciō suo fungatur, ut si possit in illo quem-  
que vel confirmare vel remove. Curet et-  
iam sollicitē, ut in omnibus ministeriis do-  
mūs sibi commisso idonei sint Ministri,  
maximē in exercitiis literariis, etiam ad bo-  
nos mores pertinentibus, eosq; sapius invi-  
set et probeat, an eis injuncta diligenter exe-  
quantur. Hujusmodi Ministri commorari  
poterunt, per spatium trium annorum, in  
illa domo, ubi destinati fuerint; poterunt  
tamen prius mutari, seu diutius confirma-  
ri, si à Patri Generali seu Provinciali,  
expediens videbitur. Inter alios Mini-  
stros erit Confessarius, ad Scholasticorum  
confessiones audiendas, qui multā chari-  
tate et benignitate trahat ad Deum cor-  
da Adolescentulorum, ut ipsum omnes,  
sicut verē Patrem, et venerentur, et ament.  
Erit etiam alius, si fieri potest, Sacer-  
dos

dos, qui præsit orationi, quæ dicitur con-  
tinua, à decem vel duodecem Discipulis  
per ordinem, faciendâ manè et vesperè,  
durante literariâ exercitatione, pro exalta-  
tionâ S. Romanæ Ecclesiæ, Hæresum ex-  
tirpatione, Principum Catholicorum uni-  
one, et bono regimine, et augmento nostræ  
Congregationis; docebitq; prædictus Mini-  
ster, quomodo se debeant pueri, ad sacra-  
mentum Pœnitentiæ, et qui sunt majores  
ad sacramentum Eucharistiæ, parare; et  
modum similiter (quoad fieri poterit)  
facilem orandi, et aliâ, pro ipsorum ca-  
pacitate. Ad supradicta, et aliâ necessa-  
ria ministeria, tam in scholis, quam in  
rebus domesticis, plurimum confert tem-  
poris ordo, ut scilicet certis ac constitutis  
horis signum detur, quò auditò omnes  
statim, etiam capti apicis effigiem relin-  
quendo

quendo, ad quod vocantur, se conferant.  
Curabit etiam Superior, ut temporibus con-  
gruis, signum campanæ hujusmodi immu-  
tetur; et similiter conferet, ut Magistri  
Diversi, pro Diversitate, numero, et captu  
audientium constituantur. Quo ordine plu-  
rimum Scholastici proficere solent; et ita,  
qui novi ad scholas accedunt, prævis exa-  
mine, cum his classibus, ac cum iis Pra-  
ceptoribus, qui ipsis conveniunt, collocen-  
tur; de quibus, his saltem in anno examen  
fiat, quo Diligentes ad superiores scholas  
gradum faciant. Et cum in omni ferè Re-  
publica, pro majori parte, incolæ sint  
pauperes, qui filios suos in studiis lite-  
rarum, ad modicum tempus sustentare  
valent: curet Superior, ut hujusmodi pue-  
ris provideatur De Diligenti Magistro,  
qui eos doceat artem rectè literas for-  
mandi

mandi, et computa fauendi, quò facilius  
sibi quisq; necessaria acquirere possit. Li-  
bri verò, qui prælegendi sunt, nullomodo  
bonis moribus puerorum nocere possint,  
neve quid inhonestum, aut minus conve-  
niens, ex illis percipi possit. Libellus  
doctrina Christiana, in Scholis à Discipu-  
lis ediscatur, et aliquam illius partem ali-  
quò designatò die cuiusq; hebdomada  
deklarabunt Magistri; in qua etiam in  
nostris Ecclesiis, et in aliis (si id Super-  
rior expediens judicaverit) diebùs Do-  
minicis, et aliis consuetis festiuitatibus,  
publicè ad maiorem Dei gloriam et Pro-  
ximorum utilitatem, pueri exercitabun-  
tur. In Scholis nostris nec iuramenta,  
nec injuria verbò vel factò illata, nec  
quid inhonestum aut dissolutum in Di-  
scipulis permittatur; sed curabunt Ma-  
gistri

gistri, (ubi se occasio obtulerit) ad obsequium et amorem virtutum, benignè eos inducere, et ut eis ex voto succedat, in omnibus Scholis ante lectionis initium, dicat aliquis devotè orationem solitam, prout in Regulis Scholarum, quam Magister et Discipuli, apertò capite, versùs imaginem genuflexi, audient. Deniq; propter eos, qui tam in diligentia suis studiis adhibenda, quàm in his, quæ ad bonos mores pertinent, peccaverint, et cum quibus sola verba non sufficiunt, Corrector constitutur, qui pueros in timore contineat, et juxta Superiores præscriptum eos verberet.

# CAPI. III.

De promovendis ad studia literarum.  
Cum finis, ad quem nostra Congregatio, per

per exercitia Scholarum Piarum intendit  
(ut supra diximus) sit puerorum eru-  
ditio, tum circa pietatem Christianam,  
tum etiam circa humanas literas, ut sic  
edocti, vitam possint consequi eternam.  
Ad eum finem consequendum, præter  
spiritualis vite exemplum, Doctrinam,  
et modum eam tradendi necessarium est  
se duximus, et postquam in his, qui ad-  
missi ad Professionem sunt, apparebit  
in veris virtutibus nonnihil profecisse,  
de fundamento literarum, et modo eas  
proponendi, cogitandum erit. Proinde  
singula Domus nostra, duos alumnos  
ad minimum, ex nostris, ut discant, susten-  
tabunt; qui supplere possint locum, cum  
quis vel morbo, vel alia iustâ causâ im-  
peditus fuerit, donec Congregatio domum  
unam habeat in singulis Provinciis,  
quæ

43  
qua omnibus illius Provinciae Domibus  
Ministros idoneos suppeditare possit; in  
qua ultra Rhetoricam et Casus consuetu-  
entia, nisi pro nostris, non procedatur.  
Et qui ex Nostris, literis humanioribus  
vacaverint, suis temporibus de his disputa-  
tabunt, quae ad illa studia pertinent, co-  
ram aliquo, qui eos dirigere possit; simi-  
liter etiam in componenda soluta oratio-  
ne, aut carmine, seu themate, ibidem ex  
tempore, ad explorandam ingenij prom-  
ptitudinem, eos exercebunt; et in aliis  
etiam exercitationibus, prout Superior ex-  
pedire judicaverit. Hi omnes literarum  
studiosi communiter latine loquantur.  
Sint etiam aliqui ex Nostris, qui Novi-  
tios in secundo probationis anno, si Super-  
iori bene visum fuerit, doceant, non so-  
lum modum docendi doctrinam Christi-  
anam

anam, sed etiam modum perfectè literas  
formandi, et computa faciendi, et quos ad  
id idoneos etiam Clericos invenerint, in eo  
instituto perficiant; qui si aliter suo tem-  
pore idonei reperientur, Generalis, seu de  
ejus ordine Provincialis, ad omnia offi-  
cia, in qualibet Domo et Provincia, eos  
promovere poterit; Idem quoq; observa-  
bit Superior in illis, qui ad fundandos  
pueros in principiis lingua latine, sin-  
gulare talentum habebunt. Advertat au-  
tem Superior, ne illi, qui studiis vacant,  
tempus aliquod extra recreationes ordi-  
narias otio absumant, neve orationis  
assiduitatem, aut animi modestiam ne-  
gligant; verum ita studia cum pietate con-  
jungant, ut alterum alteri emolumento  
esse possit, curabitq; ut bis singulis an-  
nis ante Resurrectionem per quinque vel  
sex

44  
sex dies, et ante festum Natiuitatis Dni.  
per decem dies, ad Novitiatum, vel aliquem  
commodiorem locum se conferant, ut exer-  
citiis spiritualibus et votorum renovatio-  
ne, spiritus fervorem recuperent, et augeant.

## CAPITULUM.

De Disciplina uniformi in Scho-  
lis servanda.

Non solum in domestica disciplina, o-  
mnes domus nostra eundem ordinem ser-  
vare debent (ut cum quem ex una in al-  
iam domum mutari contingat, eadem pro-  
sus exercitatio ubiq; inveniat) sed  
quod ab omnibus Superioribus sollicite  
curandum est, ut in omnibus Scholis,  
eadem doctrina, idemq; modus eam tra-  
dendi servetur. Erit ergo circa hoc quib-  
bet.

bet localis Minister valdè diligens, ut qui  
pueri legere discunt, iis libris utantur, qui  
non solum optimis characteribus insigniti  
sint, sed ex quorum lectione tam Pueri  
quàm eorum Parentes fructum perci-  
pere possint; qui verò artem scribendi  
discere cupiunt, præter hos, utantur etiam  
libris, qui tradant quibus literis, quæ vox  
scribi debeat. Qui autem ad discendana-  
dimenta grammaticæ accedunt, eadem re-  
gulis ubiq; utantur, nisi de licentiâ Ge-  
neralis in aliqua Provincia distant ali-  
quid expedire videretur. Et quoniam tam  
in tradenda grammaticâ, quàm alia  
quavis scientiâ ad Discipulorum utili-  
tatem plurimum confert, si aliquò faci-  
li, utili, et quoad fieri poterit brevi modò  
Magistri omnes utantur operæ pretium erit  
ut ex peritissimis, expertisq; in hac materia  
Viris

46  
Viris, qui optimus fuerit, religatur.  
Ad Omnipotentis Dei gloriam  
et Proximorū utilitatem,

Nos inviolabili dictarum Constitu-  
tionum observationi, quantum cum Dño  
possumus consulere, dictosq; Praepositum  
et Clericos specialibus favoribus et gratiis  
prosequi volentes, et eorum singulares Per-  
sonas, à quibusvis excommunicationis, su-  
sensionis, et interdicti, aliisq; Ecclesiasti-  
cis censuris, à jure vel ab Homine, quā-  
vis occasione vel causā latis, ad effectum  
praesentium duntaxat consequendum, ha-  
rum serie absolventes, et absolutas fore  
censentes, supplicationibus eorum nobis  
super hoc humiliter porrectis, inclinatis;  
De Venerabilium Fratrum. Nostrorum Sa.  
Ra. Ecclesiae Cardinalium, negotiis Epi-  
scoporum, et Regularium Praepositorum  
consilio

judicio; Constitutiones prædictas, omniaque  
in eis, et singula, Apostolicâ authoritate, te-  
nere præsentium approbamus, et confirma-  
mus, ac illis perpetua et inviolabilis Apo-  
stolica firmitatis robur adijcimus, omnes-  
que et singulos tam juris, quam facti  
et quavis alios defectus si qui in præmis-  
sis, aut eorum aliquo quomodolibet inter-  
venerint, supplemus: decernentes moder-  
nos et pro tempore existentes Dictæ Con-  
gregationis Propositum et Clericos, alias-  
que Personas ad plenariam eorundem  
Constitutionum observationem, (prout  
illa eos concernunt) teneri, et obligatos  
existere et fore, ac ad id etiam sub censu-  
ris, penis cogi et compelli posse, sicque per  
quoscunque Iudices, ordinarios et Delegatos,  
etiam causarum Palatii Apostolici Audi-  
tores, judicari et Definiri Debere, ac irri-  
tum

48  
tum et inane, si secus superhis à quoquam  
quâvis authoritate, scienter vel ignoranter  
contigerit attentari. Non obstantibus Consti-  
tutionibus, et ordinationibus Apostolicis, et  
terisque in contrarium quibuscunque. Vole-  
mus autem ut presentium transumptis et  
iam impressis manû alicujus Notarij pu-  
blici subscriptis, et sigillo Personæ in Digni-  
tate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem  
prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur  
ipsis presentibus si forent exhibita vel  
ostensa. Datum Romæ apud S. Petrum  
sub Annulo Piscatoris Die 11 Janu-  
arij Anno Christi 1622 Pontifica-  
tûs nostri Anno 1.



Scipio Cardinalis S. Susarmon.

Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :



ul. Krzemowa 1

62-002 Suchy Las

[www.digital-center.pl](http://www.digital-center.pl)

[biuro@digital-center.pl](mailto:biuro@digital-center.pl)

tel./fax (0-61) 665 82 72

tel./fax (0-61) 665 82 82

**Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.**

**Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.**

**All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance and broadcasting of the whole or fragments prohibited.**